

Heinrich Rahn

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Rahne/ I.U.D. ... Ad Exequias Quas ... Johanna Roserae, Coniugi suae desideratissimae Maritus moestissimus paratas cupit: Omnes omnium Ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. Rostochi[i], sub Sigillo Rectoratus, die VIII. Octobr. An. MDCLVII.]**

[Rostock]: Kilius, 1657

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777422670>

Druck Freier  Zugang



Rahne, H.,  
in  
Joh. Roser,  
uxor. J. Stallmeister.  
Rost.(1657.)

16.







PROGRAMMA  
*Quo*  
RECTOR UNIVERSITATIS  
ROSTOCHIENSIS  
HENRICUS Rahne/  
J. U. D. & Prof. Ducalisque Con-  
sistorii Adfessor  
Ad  
EXEQVIA S  
*Quas*  
Matronæ rari exempli



JOHANNÆ  
ROSERÆ,

Conjugi suæ desideratissimæ  
Maritus moestissimus  
paratas cupit:

Omnes omnium Ordinum CIVES ACADEMICOS  
officiosè ac peramanter invitat.



Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad. Typ.  
ANNO M. DC. LVII.



**C**um in rebus humanis & vita quotidiana nullum sit honestius levamen, quam habere Conjugem prosperis dubiisque sociam; & maritalis amor omnes omnium amores atque amicitias superet: recte colligit Antistitum ille Antistes egregius Augustinus: *Quorum nos vita propter amicitia solatia delectabat, fieri non posse, ut eorum mors nullam nobis ingerat moestitudinem.* Verus enim amor non debet oecumbere cum dilectis, & digna etiam Christiano pectore vox est ab Ethnico poeta prolata: *Uxorem vivam amare voluptas est, defunctam religio.* Cujus amoris exemplum illustre sacra historia nobis in Abrahamo Patriarcha proponit, qui orbatus conjuge unice dilecta, tum dolorem ex obitu illius conceptum abunde declaravit: tum nihil intermisit, quo testaretur, *perennem fidem & in amore constantiam finire nisi morte non posse: imò veros non rumpere funus amores.* Eadem ratione ante annum & quod excurrit inopinato quidem, sed tamen altissimo percussus vulnere est Vir Nobilis & Amplissimus JOHANNES Stallmeister / cum Conjugem suam JOHANNAM Rosers / quam nihil carius habuit in rebus humanis, & qua cum tot annos summam conjunctione animi planeque ex voto egit aetatem, amitteret. Namque ut nihil infelicius illo est, qui domi habet imperiosam, duram & intractabilem uxorem, ut Polla quondam erat; aut rixosam, quae noctes & dies perpetuo oblatret, & quotiescunque cum viro agat, molestiarum aliquid devorandum praebet, ut Afrania quondam; morosam, ut Papiria, luxuriosam, ut Messalina; ita vix major felicitas contingere ho-

129  
re homini masculo potest, si probam nactus sit, quæ curet  
domum, tucatur familiam, obsequatur marito, ut pene nun-  
quam necesse sit templum Deæ Viri-placæ accedere, in quo  
olim Romæ vir & uxor dissidentes convenire, ac in grati-  
am æquissimis animis redire solebant. Quo itaque beator  
existimanda mariti ejusmodi conditio est, hoc luctuosior  
quoque & deploratior est ipsius fortuna, cum talem tan-  
tumque thesaurum sibi ademptum videt. Ita scilicet se  
comparaverant etiam hi Conjuges, ut suum uterque quod  
esset satageret: & uxor aliquando oculis esset capta, vir au-  
rium surditate teneretur: quibus duabus rebus ad rem uxo-  
riam jucundè concorditerque agendam opus esse, Antonius  
Panormita non minus verè quam scitè pronunciat. Do-  
lemus itaque Viri optimi casum, & miseramur hanc ejus for-  
tem, quâ meliore certè dignus erat. Amisit enim non fa-  
mulam, quæ infidum naturâ animal; sed uxorem: nec il-  
lam de plebe aut futilem, sed honesto loco, claris parenti-  
bus, ex antiqua & celebri familia natam; quæ, dum vixit  
res domus servavit diligenter, condidit fideliter, promisit  
frugaliter. Quæ liberos cum tanta cura ac diligentia habu-  
it semper, ut nescias pene, utrum majorem laudem parien-  
do merita sit, an educando. Jam quâ fide, quo amore ac  
studio profecuta maritum sit, dici vix potest. Et testimo-  
nio ipse est, super excessu ejus confusus tantopere turbatus-  
que. Sed curat super nos negotium Deus, & quicquid mor-  
talibus miseris evenit, id immortalis illa ac felicissima mens  
statuit ante. Et igitur oblectari, & quasi obvertere cornua,  
quantæ non modo inficitæ est, sed & impietatis? Donat  
& aufert DEUS: & quamcunque nobis sortem immiserit,  
hanc ferre æquò animo par est, optimumque statueret, quod  
ille decrevit. Nescit & solvit matrimonia DEUS liberè:  
compellendus nequicquam, quomodocunque tandem in

utro-



utroque segerat. Quare si quid reposcit, reddendum sine murmure, & peragenda gratia quod nobis concessit. Nam licet diu frui non licuit; tamen hoc quoque gratulari nobis oportet, quod digni visi, in quos benignus & pius esset. Quia verò obtinet, ut super defunctis ante commemorentur nonnulla de vita ipsorumque rebus, causa non est, cur nunc migrare in nobilissima matrona velimus morem. Reddimus igitur fidei manu, prout nobis ante à moestissimo Marito exhibita pro more fuerunt.

Nata fuit piè defuncta mea Conjux, JOHANNA ROSERS, Middelburgi Selandiæ celeberrimo emporio, anno post incarnatum Verbum 1604. Parentes illius fuerunt Generosi & nobilissimi. Avus maternus DN. MICHAEL VALENTZYN in Valentzyn: Avia materna *Meineke Kameley*. Pater itidem nobilissimus & strenuus Dominus Lucas Roser, apud potentissimos Hollandiæ Ordines, capitaneus & gubernator fortalicii *Burtange*. Mater nobilissima matrona MARGARETA VALENTZYN, quæ Gustrovii denata & hic in æde Divi Jacobi sepulta est. His ex parentibus ortum habuit, ab iisq; suarum virtutum semina accepit, quæ postmodum propriâ virtute auxit, ornavit ac propagavit, prout illi sciunt, qui cum ea, dum vixit, familiariter commercium habuerunt. Maritos habuit duos. Primo, scilicet nobilissimo & strenuo Viro DN. ANTHONIO WINEKEN, hæreditario in *Xintgahem / Dikum & Gøddelinsse /* vicario capitaneo apud prænominatos Ordines, matrimonii fœdere junctâ fuit, ætatis suæ anno 14. Ex quo suscepit 5. filios,

lios: AILKONEM ANTHONIUM, etiamnum apud eosdem Ordines, patris in officio militari, succedaneū, strenuè munere suo fungentem: LUCAM, apud Serenissimum Daniæ Regem, equitum vicarium capitaneum: MICHAËLEM & HARONEM, Groningæ in Frisia degentes: & NICOLAUM, natu minimum, heroicis tamen virtutibus cumulatisimum, quem apud Potentissimi Svecorum Regis Exercitum in Polonia equitū magistrum agentem, mors nimis prope ante sesquiannum in flore juventutis, heu nimis cito! abripuit. Unicam præterea filiam ETTAM, olim nobilissimo & strenuo Virō Dn. JOHANNI RODRIGO DE PITA, Celsissimorum Ducum Megapolitanorum, dum viveret, stabuli præfecto fidelissimo, nuptam, nunc viduam. Ex hac filia quinq; vidit nepotes, sed bini ex iis in ipsa infantia cecidēre mortis spiculo tacti, tres, per benignam Dei gratiam, adhuc superlites sunt, & aviæ desideratissimæ funus comitantur mœsti. Hoc marito mortuo, ad alia vota animum applicuit, mihiq; JOHANNI Stallmeister/ tunc quidem juveni, postmodum Celsissimi Principis ac Domini, Dn. ADOLPHI FRIDERICI, Ducis Megapolitani, Domini mei clementissimi, Consiliario camerali, inde apud Regium exercitum Svecicum per Bohemiam, Moraviam & Silesiam Auditori Generali & Ducatus Glogoviensis Præsidi Justitiario, nupsit, anno 1636. ipsâ illâ die Dominicâ, quæ propter nuptias Galilæas & primum Salvatoris miraculum

lum maximè celebris est. Duravit matrimonium 20  
integris annis, 6. mensibus, 2. septimanis: Fuit con-  
cors & tranquillum, sine turbis & jurgiis, nec defuit  
nobis benedictio generosæ prolis: peperit enim mi-  
hi quatuor filias, quarum tres vita fruuntur cœlesti,  
AMILIA verò ELISABET, virgo venusta, modesta &  
omnibus virtutibus conspicua, vivit adhuc, matris-  
que exequias gemebundo plangit pectore; & tres fi-  
lios; HINKICUM, dysenteriâ in Bohemia mortuum,  
Rhumbergæ in Saxonia sepultum. JOHANNEM, va-  
riolis Glogoviæ Silesiorum absutum, hic Rosto-  
chii tamen in templo Jacobino quiescentem; & al-  
terum HINRICUM Glogoviæ natum, nunc 9. ætatis  
suæ annum agentem hocque in funere præsentem.  
Varias proinde, matrona hæc demortua, fortunæ vi-  
ces experta est, quæ ipsi acerbam & invisam quando-  
que vitam reddiderunt. Nam ut alia taceam, me per  
biennium per Bohemiam, Silesiam, inter maximos  
strepitus & horrores armorum continuè secuta est,  
animo tamen ita semper ad patientiam firmato, ut  
eos pro lusu haberet, omnia in Deum referret, & si-  
mul Christianam & conjugem sese esse semper remi-  
nisceretur. Superiori anno mensibus aliquot ante  
mortem Ictero seu morbo Regio, ut vocant, infesta-  
ri cœpit, qui ultra solitum, (nam aliquoties antehac  
ipli satis familiaris fuerat) cum quotidie magis ac  
magis ingravesceret, vires corporis adeo ei attrivit,  
ut supræma illi dies simul illapsa sit. Fuit quidem à

Cuna-

179  
cunabulis usq; in dogmate Calviniano enutrita & educata, ita tamen ut de fundamentis semper dubia nostram confessionem suæ præferret. Inde penitus illo rejecto, Spiritus Sancti illuminata gratiâ, in nostra castra toto concessit animo, fideiq; & religionis suæ professionem aliquoties in facie Ecclesiæ nostræ publicè testata est. Maximè, ubi perspexit ultima jam sibi fata imminere, viaticoq; sibi opus esse ad emetiendum iter, quo ex hac miseriarum valle ad cœlorum gaudia pervenitur, enixissimè se illo instrui & vires animi confirmari per fidem in Salvatore[m] JESUM petiit, votiq; sui compos facta à Reverendo admodum & clarissimo Viro Domino JOHANNE QUISTORPIO S. S. Theol. D. P. P. & ad D. Jacobi Pastore vigilantissimo, confessionario suo, totam se redemptori suo permisit, eidemq; animam suam pretioso ejus corpore & sanguine pastam die 27. Julii hora 4. matutina præterito anno placidè reddidit anno ætatis suæ 70. & sic feliciter vitæ suæ caducæ terminum clausit, cujus beata anima quiescat in pæce!

Cum itaque nobilissima Matrona jam terram manibus teneat, profecta que in portum suam, ut ita loquamur, coronet navem, defuncta discriminibus omnibus atque periculis, quæ nos exercent quotidie, applaudamus & gratulemur Ei de hac fortuna, & quæ viventes mortuis debent, prolixè ipsi & liberaliter, uti omninò par est, exhibeamus.

Ut igitur actui funebri interesse velitis frequentes, etiam atque etiam vos **ACADEMICI CIVES**, monemus  
& ad:

& adhortamur. Inhumanum quippe est, parùm curare mortuos; & suo non æstimare pretio ingentes virtutes, aut imperitiæ, aut malignitatis culpam habet. Romani rerum Domini, ex instituto Romuli Remuria sive Lemuria trinoctio celebrarunt, Spiritibusque, quos redire credebant, mensas conquiritissimis epulis exstruxerunt, ut ex domibus lemures & terriculamenta nocturna fugarent. Vos multò rectius facietis, qui hodierno die posthabitis feriis vestris studiis & negotiis, exequialia Sacra celebrare, nec epulas spiritui defunctæ hujus Matronæ, qui nunquam redit, offerre, sed funeri ejus operam dare, & piæ frugalisque animæ domicilium humeris quasi vestris terræ inferre frequentes volueritis. De quo pietatis & humanitatis officio mœstissimus Viduus gratias vobis aget ingentes: animamque memorem & ad quævis officia paratissimum sanctè pollicetur. DEUS verò Opt. Max. pietatem hanc vestram largissimâ manu componet, & à vobis omnia noctium occurfacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta, omnia denique corporis, animi, & fortunarum detrimenta indulgentissimè avertat!

P. P. ROSTOCHI, sub Sigillo Rectoratûs,  
die VIII. Octobr. AN. clæ loc LVII.

Conventus fiet ad horam I. in Æde  
B. Virgini sacra.

105: (0): 50











cunabulis usq; in dogmate Calvi  
educata, ita tamen ut de fundamen  
nostram confessionem suæ præfer  
illo rejecto, Spiritus Sancti illumi  
stra castra toto concessit animo, sic  
suæ professionem aliquoties in faci  
publicè testata est. Maxime, ubi  
jam sibi fata imminere, viaticoq; s  
metiendum iter, quo ex hac mis  
cælorum gaudia pervenitur, eni  
strui & vires animi confirmari per  
rem Jesum petiit, voti q; sui com  
rendo admodum & clarissimo Vi  
HANNE QUISTORPIO S. S. Theol. D.  
cobi Pastore vigilantissimo, cor  
totam se redemptori suo permisit, e  
suam pretioso ejus corpore & s  
die 27. Julii hora 4. matutina præ  
dè reddidit anno ætatis suæ 50. & sic  
caducæ terminum clausit, cujus b  
scat in pace!

Cum itaque nobilissima Matrona ja  
teneat, profecta que in portum suam, ut  
net navem, defuncta discriminibus om  
lis, quæ nos exercent quotidie, applaud  
Ei de hac fortuna, & quæ viventes mor  
ipsi & liberaliter, uti omnino par est, ex

Ut igitur æturi funebri interesse vel  
iam atque etiam vos ACADEMICI



trita &  
r dubia  
benitus  
in no  
igionis  
nostræ  
ultima  
se ade  
alle ad  
illo in  
lvato  
Reve  
no Jo  
D. Ja  
o suo,  
imam  
astam  
placi  
ta suæ  
a quie  
anibus  
r, coro  
pericu  
ulemur  
rolixè  
es, et  
nemus  
& ad